buit, quòd nuper admodum honoribus & dignitatibus maximis, quibus hactenus floruiſtis, id quoque acceſſit, vt præter Reipublicæ, cui omni laude, tanquam Gubernatores optimi, præfixi eſtis, etiam Eccleſiæ Dei cura Vobis demandata ſit, vt velut Seniores populi, difficiliora Eccleſiæ Scholæquè negotia, ope Veſtra & conſiliis ſubleuetis. Sicut igitur quondam munera recèns ad honores euectis gratulationis ſeriæ & pij voti ergò offerebantur: ſic iuſtiſſimè hoc quoque leuidenſe quidem & tenue, ſi ipſum munuſculum, at magnum, ſi magnæ gratulationis, & vota magna bene precantium reſpiciatis, teſtimonium, Vobis offerri debuit. Vos ſiquidem ij eſtis, quorum ope & auxilio res laudabiles